



HVldricus natus est Basileæ ex honesta fami-
lia Iselinorū anno 1520. Patrem is habuit Hul-
dricum Iselinum senatorem ditissimum , matrem
uerò Elisabetham Bærin . ab ijs cum honestè edu-
caretur, bonis literis operam dedit, & Iohanne O-
porino præceptore usus, prima artium fundamen-
ta iecit. Postea uerò cum Simone Grynæo habi-
tans, Græcis literis & Philosophiæ incubuit, & me-
diocrem sibi eruditionem comparauit. Cum hoc
modo ingeniū bonis studijs excoluisset, anno cir-
citer 1538 Lutetiam missus fuit, ut & artes plenius
perdisceret, Gallicę linguæ usum compararet, atq;
Iurisprudentiæ operam daret. In eo loco cum ali-

quandiu mansisset, alias quoq; Galliaæ academias uisitauit, & in primis Valen-
tiaæ ad Rhodanum plurimū profecit. Hac ratione cum multa literarum eru-
ditione instructus esset, anno circiter 1547 demū in patriam rediit, & iura extra-
ordinariè explicare cœpit. Sequenti uerò anno etiam Italiā inuisit, & Papiæ
ab ipso Alciato Iuris utriusq; Doctor creatus fuit. Cum Basileam rediisset, D.
Bonifacij Amerbachij Iureconsulti doctissimi filiam Faustina m uxorē duxit,
atq; paulo pōst socero in Iuris professione successit.